

fequi et laboris infiniti, et exiguae foret utilitatis.

CCXLI. VIII. C. 8

190 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. exeuntis, Folior. 233. f. per duas columnas currente calamo scriptus sub praemissa Contentorum Rubrica haec habet: *Hunc librum contulit monasterio beate marie virginis alias scotorum Wienne Venerabilis dominus Thomas de Weytra presbiter pat. dyoc. ut oremus deum pro eo et sibi coniunctis.* Sunt vero, quae continent: I. *Liber b. Augustini de domo conscientie*, hoc initio: *Domus hec in qua habitamus ex omni parte sui ruinam nobis minatur &c.* Libellus hic, communi cum pluribus ejusmodi Opusculis fato, rudi illo aevo diversis inscriptus est. Ut enim *Augustini* non est, ita legitur inter Opera *Bernardi* edit. *Mabill. secundae Paris. 1690. T. V. p. 335.* et in edit. *Opp. Hugonis a S. Victore Rothom. 1648. T. II. p. 170.* Librum III. *Tractatus de Anima et de interiori Domino* constituit. Accedit *Oudinus*, qui T. II. col. 1155. illum ad *Guillelmum S. Theodoric* prope *Remos* Abbatem transfert. Nobis integer non est; nam collatus cum *Hugone suprac.* et Capitibus XXXII — XLV. destituitur, et in C. XLIX. definit hac clausula: *Explicit liber de conscientia Augustini &c. 1391.* Caput praeterea XXI. nobis inscriptum est: *Confessio beati Bernardi*, et margini C. XLVI. alia manu adjectum

est: *Incipit libellus ejusdem beati Augustini de salute anime.*

II. fol. 9. p. 2. *Cento de contemptu mundi ex Sententiis Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii M. et Bernardi* contextus, qui incipit: *Multi multa sciunt, seipsos autem nesciunt &c.* et finit: *quare tanquam indignus laudas, quod ignoras. Deo gratias Amen. explicit quedam particula de contemptu mundi.*

III. fol. 12. rubro: *Hec demon clero transmittit scripta moderno.* Epistola Sathanica iis gemella, quas saepius, ut ex *Indice* liquet, retuli. Incipit: *Lucifer princeps tenebrarum tristitia profunda regens achyrontis imperia &c.* et in Codice quodam *Tegernseensi*, teste *Bern. Pezio Thes. Anecd. T. I. Dissert. Isag. p. 79.* *Henrico de Hassia* tribuitur. In alio *Mellicensi*, pariter ut in nostro, ἀδερπτος est.

IV. fol. 12. p. 2. *Soluciones quarundam questionum propositarum.* Proposuit *Rudolfus* quidam, et solvit *Henricus de Oyta* notus *Academiae Vindob.* Theologus. Ingressus est: *Reuerende Domine Rudolfe, questio vestra prima est, quomodo intelligendum sit, quod in persona Domini nostri ihesu christi est verus deus et homo, et deus ubique est et tamen humanitas ubique christi non est, sed in certis et determinatis locis, cum tamen ambe nature scilicet Deitatis et humanitatis sint in una persona christi.* (2) *Item petitis vobis scribi vnum et breue notabile de predestinatione.* (3) *Item de Domi-*

nio vincendi seipsum, quod homo dominetur sibi ipsi. (4) Item de cogitationibus, quando sunt peccata et quando non. &c. Sequuntur Responfa et ad calcem rubro: Puncta quedam Magistri Hainrici de Oyta.

V. fol. 14. p. 2. Sermones II. Prior magistralis de Sancto Bernbardo clareuallis abbate in illud: *Omnis qui se exaltat &c. Luc. 18. Alter de karitate cuiusdam doctoris, in illud: Mandatum novum do vobis &c. Joh. 13.*

VI. fol. 18. Locus de laude Virginitatis, qui incipit: *Damascenus lib. 4to. C. XVI. Noe accepit preceptum: Intra tu et filij tui &c. Liber hic Johannis Damasc. de Fide Orthodoxa est; verba tamen adducta non leguntur C. 16. sed 24. Ad calcem hujus fragmenti rubro: Scriptum Anno. M^o. C^o. C^o. LXXXI in die Ruffi martiris.*

VII. fol. 19. praecedente Capitulum Indice habetur *Aur. Augustini Enchiridion, sive Liber de Fide, Spe et Caritate. Incipit absque titulo ab illo loco L. II. Retrahat. c. 63. Scripsi etiam librum &c. Integrum est Opusculum, ut edit. Mauriana Opp. Augustini T. VI. col. 195. et sequenti formula clauditur: Explicit enchiridion augustini finitum sub anno domini M^o CCC^o nonagesimo primo In die Sancti cholomanni Martiris &c.*

VIII. fol. 29. Incipiunt meditationes augustini. Initium: *Vigili cura mente sollicita summo conatu sollicitudine continua decet nos*

inquirere &c. Libellus hic alias de diligendo Deo inscriptus et Augustino perperam tributus legitur in Append. T. VI. Opp. ejus col. 75. et juxta Maurianorum praevidiam Admonitionem fortasse Petri Comestoris esse possit. Nobis definit in haec verba: differenti- bus meritis ab invicem distabunt. Mauriani ex quodam Codice Regio lineas 11. adjecere.

IX. fol. 34. p. 2. Incipit Augustinus de fide ad petrum. Hoc modo: *Epistolam fili petre (nihil hic de Diacono) tue caritatis accepi &c. Fulgentii Ruspensis Opusculum est, a Maurianis id momentibus nihilo minus in supracit. Append. col. 19. cooptatum, et inter Fulgentii Opera edit. Venet. 1742. p. 226. f. compars. Caput XLV. seu novam illam Fidei Professionem priori subjectam, quam Editores Fulgentio abjudicant, Codex noster ignorat, qui, ut par est, ita finit: Et si quis aliter sapit, hoc quoque Deus reuelabit.*

X. fol. 44. Incipit Augustinus de sanitate anime. Initium est: *Nostis fratres karissimi omnes homines querere sanitatem corporis &c. Nullum novi Augustini hoc titulo Opusculum, sed tres hic breves ad Populum Sermones habentur. Primi initium dedi, qui definit in illud Pf. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine &c. Alter incipit: Bene nostis fratres karissimi, me vobis frequenter supplicasse &c. et finit: ut illi indulgentiam dare dignetur et ad eternam beatitudinem ob gratiam nominis*

minis sui faciat deus peruenire, cuius regnum et imperium &c. Tertius incipit: *Si videatis fratres karissimi, quod mea non cessat humilitas &c.* et finit: *qui circa vos non videtis, quid agatur.* Omnes tres in impugnantis Superstitionibus, puta invocatione Aruspicum, Sortilegorum et Divinorum, gestatione Philateriorum (φυλακτηριων) clamoribus ad iuvandam Lunam laborantem &c. versantur, de quibus, ut sparsim in Sermonibus suis genuinis agat *Augustinus*, hos tamen tres Sermones in impressis non invenio.

XI. fol. 46. Incipiunt suspiria *Beati Augustini.* Suspiria haec nihil sunt aliud, quam *Capita IX.* temere excerpta ex sic dictis *Augustini Meditationibus*, quas in *Appendicem T. VI.* ad col. 107. *Mauriani* coniecere, *Admonitione* praevia, qua conficitur, pios hos animi motus ex dictis *Augustini, Anselmi, Alcuini*, et *Johannis Abb.* cujusdam *Fiscammensis Anselmo συγγεγραμμεν* coaluisse. C. I. incipit: *Summa trinitas virtus una et indiscreta &c.* Ultimum vero: *Domine ihesu dulcissime, benignissime redemptor humani generis &c.* Multa et hic libertate in contrahendo, transferendo &c. Librarium usum fuisse conferenti Exemplaria patebit.

XII. fol. 52. p. 2. Absque titulo incipit Determinatio Doctorum Theologiae ac Juris canonici Acad. *Vindob.* super Assertis a *M. Johanne Munczinger* circa Sacramentum Altaris. Asserta isthaec et eorum quaedam interpre-

tatio etiam *Cod. CCCCL.* indicata sunt. Hic tantum ulterius liquet praedictum Assertorem rectorem *opidi Vlmensis Constan. Dyoc.* fuisse. Initium hic est: *In exordio presentis negocij Deo scientiarum humiliter invocato protestamur &c.* Vide *Schelb. Am. lit. VIII. 511.*

XIII. fol. 58. *Bernardi Silvestri*, qui *Carnotensis* Episcopus obiit 1180. Epistola de gubernanda Re familiari. Initium est: *Gracioso ac felici Militi Raymundo Domino Castri Ambrosij Bernardus in senium ductus salutem. Doceri petisti a nobis de cura et modo rei familiaris utilius gubernande &c.* Edita saepius typis jam *Sec. XV.* ut *Lipsiae 1497. 4.* sub nomine *Bernardi Claraevallensis*, quin et Operibus ejus inserta usque ad editionem *Jac. Merlo Horstii 1641.*

XIV. fol. 58. p. 2. Anonymi Sermones five Postilla in Evangelium Festi Dedicacionis Ecclesiae et Assumptionis Mariae. Prior incipit: *Nota, una proprietatum domorum, quod sit luminosa, maxime autem domus domini &c.* Posterior: *Intrauit ihesus in quoddam castellum &c. Luc. 10. Porta per quam intrat Ihesus in castellum cordis nostri &c.* Adscribitur haec in *Indice* Codici praefixo *Domino Milicio*, quem *Johannem Militium Moravum Cremfiriensem* celebrem *Pragae* Oratorem ✠ 1374. habeo, de quo adi *Bob. Balbini Bobemiam doct. P. II. p. 181.* et *Cl. Adaueti Voigtii* de Patria sua optime meriti *Acta liter. Vol. I. p. 216.*

XV. fol. 62. p. 2. Excerpta ex *Sermone Socci de S. Matthaeo*. Extant *Sermones* hi 1476. f. primum impressi, quam editionem *Sec.* etiamnum XV. plures aliae secutae sunt. Nomen Autoris e *Cisterciensi* familia germani prodit *Tribemius* in *Cat. illustr. Germ. fol. 32. Conradum monachum cenobij fontis salutis* (Heilbrun) in *sueuia* adpellans et ad an. 1390. referens; cur vero *Socci* vel *Succi* dicantur, et a *Tribemio*, et in eorum *Praef.* redditur ratio, quam *Fabricius* in *Bibl. med. et inf. Lat.* T. VI. p. 199. repraesentat.

XVI. fol. 63. Tractatus *M. Henrici de Hassia* de Verbo incarnato in XXI. Capita tributus, sed initio C. I. truncatus, incipiensque nunc a verbis: *misteriorum celestium sub uelamento scripture dei abditorum. O si nos qui modo sumus, haberemus pro explanationis adiutorio saltem illa, que adhuc uiuens* (Christus) *a suis discipulis de uerbo illo interrogatus, ipse voce tenus expressit &c.* Extrema sunt: *representet omnia complexe et incomplexe, sicut uerbum diuinum.* Et rubrica: *Explicit tractatus de uerbo incarnato editus per Reuerendum Magistrum Hainricum de Hassia.* Cl. Bern. Pezsius Tractatum hunc in *Bibl. Dorothe. Viennae* et *Gemnicensi Carthus.* in *Austria* vidit inscrip-

tum *de Verbo in Divinis*, hoc initio: *Quis mihi det uerbum &c.* subiecta nota anni 1393. teste *Dissert. Isag. in T. I. Thes. Anecd.* p. 78. A *Fabricio* in *Bibl. med. et inf. Lat.* inter *Opera Gersonis* editus dicitur, quod de edit. *Colon.* 1484. f. intelligendum putem, quae ad manum non est.

XVII. fol. 67. p. 2. Excerpta ex *Sermone Socci de S. Bartholomaeo* in illud *Luc. 22. Uos estis, qui permanistis mecum &c.*

XVIII. fol. 69. Postilla *Joh. Milicii* in *Evangelia*, quae leguntur in festo sanctae *Margarethae* virginis, et sancti *Johannis Baptistae*. Prior incipit: *Ewangeliium presens summarie dicit uirgines que sumpserunt oleum &c.* Altera: *Locuturi et audituri de solemnitatem presenti notare debemus tempus &c.* *Johannis Militii* nihil unquam lucem adspexisse puto.

XIX. fol. 73. Incipit reuerendi *Magistri Hainrici de Hassia* Tractatus de *contractibus*. Eruditus et utilis hic Tractatus II. Partibus definitur, quarum prior *Capita* censet L. altera XXXVII. Inscriptio C. I. est: *De Fugo laborum originali.* Initium: *In sudore uultus tui &c.* Tanta erat *illius prime transgressionis culpa &c.* Finis totius Operis: *ne ex subita mutatione talium peiora fierent.*

*Deficiunt vires, hinc pro me vade libelle.
Certifica dubios, contractus argue prauos.*

Explicit tractatus de Contractibus Magistri Hainrici De Hassia. Tractatum hunc, in quo multum agit Henricus de Judaeorum cum Christianis convictu et commercio, in *Append. Opp. Gersonis Coloniae 1484. f. extare cum Fabricio suprac. testatur Oudinus T. III. col. 1261.* ubi tamen pro ordine sensuum lege origine censuum. Ceterum prolixior haec Nostri commentatio confundenda non est cum breviori ad Cives Wienenses, de qua Lambecius L. II. p. 125. et nos alibi. Id, quod jam Pezsius monuit *Diff. Isag. in T. I. Thes. Anecd. p. 79.*

XX. fol. 102. p. 2. Incipit quedam expositio Symboli apostolorum facta per eundem, id est, Henricum de Hassia. Initium Prooemii est: *Primum quod est necessarium cuilibet christiano, est fides &c.* Ipsius Operis: *Credo in Deum. Inter ea, que debent credere christiani &c.* Ultima: *quod ascendit in celum et venturus est ad iudicium. Amen. Explicit expositio super Credonem.* Meminere hujus Expositionis ex *Cat. Lips. Joach. Felleri Oudinus T. III. col. 1260. Fabricius T. III. L. 8. Pezsius suprac. ex Tritbe-*

mio, et Codice Bibl. Tirnstein. in Austria, ubi tamen et alia extare dicitur hoc initio: Funiculus triplex &c. et: Circa scalam per quam &c. pariter Henrico tributa.

XXI. fol. 110. Incipit quedam epistola Magistri Hainrici de Hassia de quadam pictura. Inscrbitur: *Reuerendo Domino ac genere preclaro Domino Jo. de ebersteyn camerario Maguntino suis ubique clericus humillimus Heynricus langenstayn dictus de Hassia post mundana celestia, post marte sollicitudinem Marie sororis requiem.* Incipit: *Benigno vestre caritatis affectu ad exiguum &c.* Occasione picturarum, quae in aula Praelati hujus visabantur, Vir pius rerum caducarum vices et brevis aevi memoriam ingerit. Depictae autem erant ruris deliciae, hastiludia, pugnae, thermas Wisbadenses, et festum, ut adpellat Noster, ibidem celebrari solitum, Bacchi orgiis non ab simile, qua re fortassis ad foedus Leoninum alludit, quod anno 1379. inter Viros nobiles ibidem coaluit. Versiculos passim adspersit, et inter alia sequentes:

*Hora novissima, tempora pessima sunt, vigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus &c.*

qui sunt initium Trium Librorum Bernardi Morlanensis de contemptu Mundi stupendo mechanismo pertextorum, et pluries excusorum. Scripta fuit *Epistola*, nobis in *Capita X.* divisa, post an.

1380. quo anno Johanni Ebersteinio Camerarii munus obtigit, quo ad an. 1387. emortualem functus est. Definit in *Carmen*, cujus versus singuli terminantur: *Quid inde.*

*Si tibi divicias queras per cuncta, quid inde,
Mirificas gemmas et aromata multa, quid inde &c.*

In fine alia adjectum manu:

*Explicit hec nichili que pendit epistola mundum
Orbis edens facinus miseris variosque labores.*

Epistolae hujus meminere *Oudin* et *Pezius citt.*

XXII. fol. 115. Incipit *Tractatus de Contractibus Magistri Hainrici De Oyta*. Prologi initium: *Diligite iusticiam qui iudicatis terram, sap. primo Cap. Constat Capp. XIX. quorum Primum sic orditur: Utrum constitui redditus pecuniarum uel aliarum rerum scilicet bladi vini et huiusmodi in re aliqua uel persona licitum sit &c.* Et sic quovis Capite alia resolvitur Quaestio. Extrema sunt: *sed si ignorante domino datum sit et ratum habuit, pignus valebit.* Ad calcem minio: *Explicit tractatus de contractibus. M. H. de Oyta.* Meminit illius post *Trithemium Gesnerus in Bibl. et Possevinus*, qui etiam *Gersonis* Operibus adnexum ajunt. De editione *Gersonis Coloniensi* suprac. 1484. sermonem illis esse putem; qui enim in posterioribus editionibus *Gersonis* comparet *Tractatus de Contractibus* omnino a nostro differt. Vide edit. *Antverp. reipsa Amstelod. 1706. T. III. P. 1. p. 166.* Addit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. T. III. L. 8.* nostrum etiam separatim lucem vidisse. Utinam et locum et annum addidisset!

XXIII. fol. 148. Sermones II. Prior de *Festo dedicationis* in illud: *Pax huic domui. Matth. et Luc. 10.* Initium: *Cogitanti mihi ob reuerentiam presentis festiuitatis &c.* Alter in illud: *Preceptor per totam noctem laborantes nichil cepimus. Luc. 5.* Initium: *Diuersi pisces in mari significant diuersos peccatores &c.* Ad finem Sermonis Pisces enumerati in tres *Versus* memoriales rediguntur.

XXIV. fol. 155. Redit *Augustinus de Sanitate anime* supra N°. X. indicatus.

XXV. fol. 157. p. 2. *Questiones Magistri Hainrici de Gandauo in primo quolibet questione 35. de contractibus.* Sunt vero sequentes: *Utrum liceat emere redditus ad vitam. Utrum sit licitum vendere redditus ad vitam. Utrum emere vilius et incontinenti vendere carius sit peccatum.* De autore *Henrico Goedbals* seu *Bonicollio* Can. et Archidiacon. *Tornacensi*, qui in Academia Parisina *Doctor Solemnis* audiit, obiitque 1293. vide *J. Fr. Foppens Biblioth. Belg. T. I. p. 445.* *Quodlibeta* ejus in IV. Libros distincta lucem videre *Paris. 1518.* et *Venet. 1613. f.* Adfertur in *Bibl. cit.* etiam separatim *Quodlibetum de*

Mercimoniis et Negotiationibus Mf. quod nostrum esse adserere non aufim.

XXVI. fol. 160. p. 2. Collectanea varia ex *Augustino, Petro Damiani, Regula Benedicti, Basilio M. Joh. Cassiano, Gregorio M. Henrico de Hassia, Hieronymo, Bernbardo* de diversis materiis ad religionem et mores pertinentibus. Opusculi inter haec speciem habet, quod minio inscriptum est: *Notabile de animabus*, in quo agitur breviter de Statu animarum separatarum et earum orationibus et suffragiis, sed integrum non est.

XXVII. fol. 167. p. 2. minio: *Incipit epistola beati Eusebij Ad Damasum portuensem episcopum et ad Theodonium Romanorum senatorem de morte gloriosissimi confessoris Jeronimi Doctoris eximii*. Vide, si lubet, quae Cod. DCCXXVII. diximus.

XXVIII. fol. 183. *Exposicio de corpore christi super verbis Gen. ut sequitur. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hoc verbum Gen. 3º. capitulo scriptum, quia dictum est ad literam de penalitatibus ade et filiorum eius, Ideo pertractandum est primo historice, 2º mystice de sudore passionis christi et pane sacratissime eukaristie &c. Pezius Sermonem hunc in Carthusia Aypacensi Austriae reperit Henrico de Hassia inscriptum, ut testatur Diff. isag. in T. I. Thef. Anecd. p. 78.*

XXIX. fol. 187. minio: *Magister Hainricus de Hassia ad canonicos regulares de proprietate*

Amplus Sermo vel potius Tractatus est, qui incipit: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Nouistis fratres dilectissimi in Domino ihesu regulariter congregati, quorum sint verba hec &c. Sermonem hunc, cujus jam *Trihemius* meminit, ad Collegium *Claustroneoburgense* habitum *Pezius* mox laudatus in Bibliothecis *Aypacensi, Gemnicensi et Mellicensi Henrico de Hassia* pariter tributum invenit. *Extrema* illius, *Henricum* nulli, quod olim dubitabatur, familiae religiosae adscriptum fuisse confirmant; dicit enim: *Quibusdam fortasse displicui, dum — irregularis ego regulares docere presumpsi*. Cod. CCLVII. vocatur *Epistola*.

XXX. fol. 193. minio: *Augustinus de Visitatione Infirmorum. Tractatus primus*. Duo sunt Libri incerti Autoris a *Maurianis* in *Append. T. VI. Opp. Augustini col. 253.* exhibiti. Initium: *Visitationis gratia nepoti meo karissimo morienti extremum valedicturus &c.* Finis: *ut ascendas ad deum iustificatus ab ipso, Qui vivit &c.*

XXXI. fol. 199. *Tractatus de Vita et XII. Abusivis Claustralium sine titulo*. Incipit: *Locuturus karissime de hijs que ad edificationem claustri materialis pertinent &c.* Finit: *Ex hijs ergo obseruantie mandatis pendet summa tocus religionis. Et rubro: Finitur de vita claustralium et abusivis eorundem. Regulam Benedictinam Autor professus fuisse non videtur ex eo, quod p. 2.*

ait: *Quidam monachi, quos heredes beati Benedicti nouimus esse, discretionem seruant. Sed Augustinianae addictum fuisse inde confici possit, quod p. ead. subdit: Ait enim beatus Augustinus in regula, quam nobis tenendam proposuit &c.* Atque hinc ulterius quis inferat, eum e *Canonicorum Regularium* numero fuisse; legitur enim p. 201. *Sufficiunt ergo unicuique fratrum nostrorum due tunice, pellicia vna, superpellicium, pelles siue pallium &c.* Quae omnia ad *Hugonem de Folieto* ducunt *Can. Reg. S. Petri Corbeensis* in *Picardia* et dein circa a. 1140. *Cardinalem*, de quo adi *Fabricium* in *Bibl. med. Lat.*

XXXII. fol. 215. p. 2. Incipit *Augustinus de conflictu virtutum et viciorum.* Initium: *Apostolica vox clamat per orbem &c.* Opusculum hoc in diversis editionibus *Augustino, Leoni M. Ambrosio* et *Isidoro Hisp.* tributum habes T. VI. *Opp. Augustini Append. col. 219.* *Mauriani* editores ad *Ambrosium Autpertum* *Abb. S. Vincentii ad Vulturum* in *Benevento*, Sec. VIII. scriptorem deferunt. Vide et *Indicem.*

XXXIII. fol. 223. Incipit *liber Augustini de ecclesiasticis dogmatibus.* *Credimus vnum esse Deum patrem et filium et spiritum sanctum &c.* Ultima sunt: *ymaginem in eternitate. similitudinem in moribus inueniri.* *Gennadii Massiliensis* Presbyteri est haec *Confessio*, olim *Alcuino, Paterio, Gennadio Cplitano, Fausto,*

Augustino tributa, cuius T. VIII. edit. *Maur. Append. col. 75.* legitur, duobus *Capp.* amplior; *Codex* enim noster C. XV. et XVIII. desiderat, et praeterea in lectione non tantum ab edito, sed etiam ab exemplari mspto *Lucensi*, cuius specimina duo exhibuit *Cl. J. Dom. Mansius* T. XLV. *Opusc. Calogermanor.* p. 98. discrepat. Nam, ubi hic C. 2. legit: *Qui erat in Diuinitate Patris filius ipse fieret in homine hominis matris filius*, noster habet: *Qui erat in diuinitate dei patris filius. ipse fieret hominis filius.* C. 5. ille: *Homouison ergo in diuinitate Patri filius*, noster: *Omouison ergo id est coessentialis in diuinitate patris patri filius &c.* Ceterum vide, quae de ipsa hac *Confessione* in art. *Gennadius* congeffit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.*

XXXIV. fol. 226. p. 2. Fragmentum *de Electione et Reprobatione* *Hominum*, signisque, unde quis conjiciat, se salvandum, aut damnandum fore. Initium: *Nota secundum Commentatores, eligere est vnum ex duobus legere &c.*

XXXV. fol. 229. *Tractatus Medicus de Regimine Sanitatis.* Incipit: *Vt testimonio galieni in libro de regimine sanitatis clare accepimus, quod in regimine sanitatis absque errore esse non possumus &c.* Agitur in hoc *Tractatu*, qui in scholis praelectus fuisse videtur, primum de *Diaeta* in genere, percurrendo sex res illas dictas non naturales, dein in *particulari*, ad certas quasdam *Com-*

plexiones respiciendo, et tum autor ad *Regimen*, ut vocat, *Medicinae* delabitur, varia praescribendo morborum remedia. Sed librarius imperfectum opus destituit. Germani hominis, et fortasse Academiae *Vindob.* Doctoris esse immixta quandoque vernacula nomina docent, ut, dum de *Piscibus* ei fermo est, *Pratfischel*, *grundel*, *choppen*, *schrezen*, *zindel*, *aschen* memorantur.

CCXLII. VII. 8

847 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 8. non una manu exaratus, rubricis distinctus, et olim *Fratrum sancte Crucis in Dusseldorp* frequentia complectitur: I. incipit *Augustini aurelij Episcopi liber de singularitate clericorum*, et quidem hoc tenore: *Miseram quidem vobis ante tempus epistolam filij carissimi que omnium morum instituta de lege commendans summam omnia continet et (contineret?) quecumque uniuersis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt disciplinae &c.* Adlusio haec ad datam *Regulam* anam praebere potuit, ut hic *Libellus Augustino* inscriberetur, cui tributae *Clericorum Regulae* Fragmenta profant in *append. T. I. Opp.* edit. *Maur.* At vero *Libelli* nostri nullum in hac Editione vestigium, quamvis *Codex* etiam *Corbejensis* quidam *Augustini* nomen praeferat. Apud *Cypriani* Editores quaerendus est, et quidem inter

Subposititia, quamvis teste *Rigaltio* in *Addend.* p. 480. in *Codice Fossatensi Cypriano* adscriptus sit. Sunt enim alii, qui *Origenem* suboleant, et *Job. Pearsonus* in contrarium abiens ad *Beda* plane tempora respicit, scriptioneque hac *Coelibatum Occidentalis Ecclesiae* urgeri putat. Sed pace docti *Episcopi* dictum fit, nullam in ea controversiam esse cum *Conjugio*, sed cum periculosa solum et suspecta *Clericorum* inter *Mulieres* commoratione; praeterea de incusationibus *Ethnicorum*, de *Gallis* sacerdotibus *Cybeles*, de *Martyribus* et *Martyrio* tanquam de re praesenti agitur, quod sane *Beda* aevo non congruit. Removendus igitur ad anteriora tempora *Libellus*, cujus tamen *Autorem* non magis, ac alii, indicare possum. Sub *Augustini* nomine typis excusus a. 1467. opera *Olrici Zel de Hanau* in 4. mihi objacet. Locus tacetur, quem *Coloniā Agrip.* habeo. Editio rarissima est, et vel ideo cujusvis pretii, quod ejus ductu ad officinam *Zellii* revocari possint complura ejusdem formae *Opuscula*, ad quorum calcem *Typographus* hic et nomen suum et tempus, locumque impressionis subticuit.

II. fol. 59. *Liber* (intervallum erasum) *de beata sufficiencia.* Initium: *Suauitas et origo iusticie domine deus meus. exaudi deprecationem meam in dulcedine gratie tue &c.* Sed inscriptionem rudis *Librarius* mutuatus esse videtur e §. IV. primis verbis: *O sufficiens beati.*